

bis per modum principii. Secundo, ex parte ipsius actus, accipiendo non ipsam rationem actus secundi, ut contrapositam actui primo, quasi utrumque sit in Deo, sed ipsam rationem operationis, ut significatur, et cognoscitur a nobis per modum exitus ab operante, licet in re non exeat, sed a nobis significatur ut exiens. Tertio, ex parte objecti, vel effectus connotati ab actu volitionis: sic enim circa particularia objecta, ut tali modo attinguntur, seu ratione diversæ connotationis ad objecta distinguuntur diversi actus voluntatis in Deo, tum inter se ut amor necessarius, et liber, actus amoris, et gaudii, justitiæ, aut misericordiæ, etc. tum ab ipsa voluntate secundum se, quæ ab omnibus istis connotationibus abstrahit, et rursus potest salvari in ipso Deo ratio voluntatis per modum principii ad talia objecta, vel effectus, et ad ipsos actus, ut tangunt et connotant illa objecta, vel effectus.

XXV. Hac ratione diximus præcedenti tomo, disp. xvi, art. ii, dari in Deo eminenter rationem operationis, et principii ejus in intelligendo, non distinguendo ibi rationem actus primi et secundi, sed rationem principii et exitus operationis ab ipso, eo quod distinctio actus primi et secundi opponitur ipsi conceptui actus puri qui in omnibus conceptibus attributorum Dei salvari debet; distinctio autem principii, et egressionis non opponitur nisi simplicitati, et unitati Dei, si sit in re talis egressio; si vero solum eminenter, et virtualiter invenitur, non repugnat Deo, quia ejus eminentissima perfectio implet unica ratione quidquid fit per distinctionem plurium in creaturis. Et ita eminentialiter, et virtualiter est in Deo operatio, non formaliter. Hoc autem non est, quia ex parte rei conceptæ in Deo correspondeat unus

conceptus principii, seu potentiæ, qua sit effluxio, alius conceptus operationis quæ effluat intra Deum a suo principio. Hoc stare non potest quia sic reducerentur ad conceptum actus primi et secundi, qui in Deo distingui non possunt, neque ponendo actum primum formalem, neque virtuales, eo quod in illo conceptu actus primi importatur intrinseca imperfectio, et potentialitas, quæ nec virtualiter in Deo est. Sed tamen remoto isto conceptu imperfectionis, et potentialitatis, quem nec virtualiter Deo possumus attribuere, restat ut ex parte modi nostri concipiendi, et significandi, qui imperfectus est, distinguamus, seu connotemus in illis conceptibus habitudinem principii operantis et ipsius operationis, sine quarum connotatione, divinam operationem non possumus apprehendere, quia in ordine ad creaturas apprehendimus; sed ex parte rei conceptæ nullam imperfectionem, aut potentialitatem, sicut est actus primus, ei attribuimus, etiam virtualiter.

XXVI. Sic ergo in voluntate et volitione, in potentia, et actu ejus quærimus aliquas formalitates, seu habitudines sub quibus explicare, et distinguere eos possimus, non sub formalitate actus primi et secundi, quia formalitas actus primi repugnat conceptui actus puri, sed sub aliis formalitatibus, quæ illi non repugnent, ut est habitudo principii operantis, et operationis egredientis: has enim ex parte nostri modi concipiendi non possumus præscindere et alias in Personis divinis inveniri ut diximus: tamen sunt habitudines, sub quibus divina apprehendimus, non quod in Deo sint, sed quod sub illo modo a nobis intelliguntur; sicut etiam dicimus in Deo dari essentiam, et existentiam, non quidem concipiendo illa sicut distincta, ita quod essentia conci-

piatur ut actuabilis ab existentia, sed concipitur essentia sub conceptu substantiæ, et quidditatis divinæ, et existentia ut exercitium essendi extra nihil, licet eadem actualitas sint: sic concipitur habitudo potentiæ ut principii, seu rei operantis, et ut fundamentum operationis, et operatio sub habitu dine exercitii exeuntis ab operante, licet talis habitudo non sit in Deo, licet non habitu dine actus primi et secundi, qui destruunt conceptum actus puri, habitudo autem principii, et principati non, cum hæc inveniantur in Personis divinis. Et hoc est concipere aliqua ut distincta ex modo significandi, seu cognoscendi, non ex parte rei cognitæ. Et hoc pacto fatetur D. Thomas dari diversos conceptus potentiæ et actionis, voluntatis et actus secundi secundum modum significandi, in locis supra allegatis ex ii contra gent. et ex qu. xli, hujus primæ partis. Et idem docet de omnipotentia infra qu. xxv, art. i ad iii.

TERTIA PROPOSITIO D. THOMÆ.

XXVII. Denique, tertia propositio ex ipso D. Thoma manifesta est, qui eodem modo negat potentiam seu actum primum respectu voluntatis ad velle, et respectu intellectus ad intelligere in Deo in quæstione xli, articulo citato. Et repugnantia est eadem, quia actus primus repugnat conceptui actus puri, quæ repugnantia eodem modo currit tam in voluntate, quam in intellectu. Quomodo autem respectu voluntatis salvetur ratio naturæ antecedenter constitutæ per ipsum intelligere, quod nostro modo intelligendi præcedit velle, sine hoc quod detur ulla ratio actus primi ad volendum, sed se habeat ut actus secundus in una linea, sci-

licet intelligibile, ad alium actum secundum in alia linea, scilicet volendi, quod totum capitur sub conceptu actus puri, statim dicemus solvendo argumenta.

RESPONDETUR FUNDAMENTIS OPPOSITIS.

XXVIII. Fundamenta primæ sententiæ juvant nostram, ideo non oportet solvere. Ad fundamentum secundum sententiæ negatur antecedens. Ad primam probationem dicitur, quod conceptus naturæ quando constituitur per actum secundum et ultimum in una linea, scilicet in linea intelligibili, non repugnat quod nostro modo intelligendi se habeat ut radix alterius operationis in alia linea, scilicet in linea volendi, sine hoc quod sit in actu primo respectu illius. Repugnat autem quod intra eandem lineam alicujus perfectionis, quæ est actus purus, possit distingui conceptus actus primi et secundi, quia esset in illo genere destruere rationem actus puri, ut dictum est. Itaque non pertinet ad rationem naturæ, etiam si concipiatur ut radix alicujus proprietatis, vel operationis, habere se per modum actus primi, etiam radicalis. Et ratio est, quia natura, et proprietates, seu operatio habent se ut perfectiones in diverso genere, et linea, si quidem unum consideratur ad modum substantiæ, aliud ad modum accidentis, unum in genere entitativo, aliud in genere operativo, unum in genere intelligibili, aliud in genere volitivo, aut sit de aliis, quæ diversas lineas, et diversa genera perfectionum sub istis considerationibus inducunt. Unde bene stat, quod unum quodque intra suam lineam sit perfectum perfectione ultima, et requisita in ratione actus puri, sicut in linea intellectiva ipsum intelligere Dei est ultimate perfectum,

et actus summus in illo genere. Quod vero semel in suo genere, et linea se habet ut actus ultimus, et purus formaliter, licet consideretur ut ratio, seu radix alterius perfectionis in alio genere, et linea, non dicitur actus primus respectu illius, sed solum habere connexionem, et ordinem formaliter cum illa alia perfectione, non autem tendere ad illam, ut perfectibile ad perfectionem, et tamquam ad aliquid quod sibi deest ut perficiatur, quod tamen est de ratione actus primi, qui consideratur respectu actus secundi, ut perfectibile ad perfectionem, ut minor perfectio et prima, ad summam et ultimam, quod repugnat Deo. Non autem repugnat quod sint plures perfectiones (plures dicimus secundum formales conceptus: identice enim, et in re omnia sunt unum) et quod omnes illæ in summo, et tamen quia connexionem habent formaliter, dicatur una consequi ad aliam ex vi formalis conceptus, non sicut sequitur perfectio ad perfectibile, actus secundus ad primum, sed sicut sequitur perfectio ad perfectionem nostro modo concipiendi, imo in relativis realiter sequitur et procedit persona ad personam, et utraque est in actu puro, non in actu primo respectu alterius.

XXIX. Quod si instes: Nam conceptui naturæ deesse proprietatem, aut deesse operationem, est deesse aliquam perfectionem illi debitam: ergo si concipitur sine illa, et ut principium illius in quantum natura, concipitur in actu primo, et ut perfectibile ad suam perfectionem. Respondetur quod deesse illi in re, et identice quod est deesse privative talem proprietatem, esset imperfectio, deesse autem illi formaliter quod non est deesse privative, sed non exprimi negative in illo conceptu, non est imperfectio, quia non pertinet illa perfectio ad suum concep-

tum formalem intra suam lineam, et genus, sed extra illam est; et sic intra lineam naturæ in actu ultimo est: petit autem aliam perfectionem alterius lineæ, non per modum perfectibilis ab illa in suo genere, et linea, sed ut perfectio integra, et summa in suo genere habens connexionem cum alia, sicut perfectio cum perfectione, non ut perfectibile cum perfectione: hoc enim modo etiam attributa distinguimus formando diversos conceptus, quorum quilibet repræsentat suam perfectionem in illo genere, et linea formali summam, et non repræsentat aliam alterius attributi, tamquam pertinentem ad formalitatem istius, licet habeat cum illo connexionem, sicut perfectio cum perfectione, non sicut perfectibile cum perfectione, actus autem primus semper se habet ut perfectibile. Cum autem comparatur perfectio cum perfectione, licet repræsentando unam non repræsentetur alia, sed videatur illi deesse, non tamen se habet ut actus primus, quia non comparatur tamquam perfectibile ad perfectionem, sed ut perfectio ad perfectionem, et utraque in summo, et in actu puro. Petunt tamen omnia attributa, et omnes istæ perfectiones identificari in re entitative, et identice propter infinitatem in genere entis, et sic quod una non desit in re alteri, si enim sic deesset, privative deesset.

XXX. Ad secundam probationem respondetur ex dictis, quod actus notionales possunt dupliciter considerari, vel entitative, et ut sunt idem cum actibus immanentibus essentialibus ut velle, intelligere ut infra disputatione XIII ostendimus: et hoc modo etiam non datur potentia, et actus primus ad illos. Alio modo possunt considerari relative, id est, ut tangunt ipsos terminos personales procedentes. Et hoc modo sicut

datur potentia ad terminum procedentem, sic ad actum notionalem ut tangit talem terminum, quod est sumere illum actum ut notionalem formalissime, non tamen ad actualitatem, et entitatem illius actus secundum se, ut præcise dicit actum secundum essentialem, et immanentem. Quare nos simpliciter fatemur dari potentiam, et principium notionale in Deo ad actus notionales, sicut ad personas, sed in sensu valde formali ad actus notionales ut tales, id est, ut tangentes personas procedente, et sub hac præcisa ratione, non ad ipsos, ut sunt idem quod essentialis actus in se.

XXXI. Ad tertiam probationem eodem modo respondetur, quod ad istam actionem omnipotentiam ut tangit terminum factum, datur principium et potentia, sicut ad ipsum terminum. Ad ipsam vero actionem in sua entitate, et actualitate ut præcise actus secundus est, non datur potentia, nisi secundum modum intelligendi, et significandi; non ex parte rei conceptæ, ut explicatum est, et hoc est quod dicit D. Thomas loco citato in argumento.

XXXII. Ad quartam probationem dicitur, quod in Deo datur ratio objecti, et speciei, licet non distincta ab actu intelligendi, non tamen datur ratio potentiam, seu principii ex parte rei significatæ, sed solum ex parte modi significandi, quia ratio objecti, et speciei non consideratur ut aliquid perfectibile respectu ipsius intelligere, sed ut pure perficiens, et perfectio ejus, quia est specificans ipsum, et terminans, seu movens. Unde non repugnat quod ipsum intelligere Dei sit objectum, et actus et species, quia totum perfectio est, et nihil super factibile concipitur. At vero actus primus, et potentia comparantur ad actum secundum, ut perfectio non quomodo, sed ulterius perfectibilis

et tendens ad ultimam perfectionem, et sub hac ratione repugnat actui summo et puro etiam virtualiter, et etiam ex parte modi, taliter quod illi attribatur, et refundatur in rem conceptam, non vero repugnat perfectio objecti, quæ est pure perficiens ipsum intelligere. Et sub hac ratione datur in Deo, scilicet ut pure perficiens, seu specificans et determinans actum: hoc enim solum est de ratione objecti et speciei. Quod vero sit intelligibilis in potentia, et non in actu, hoc non pertinet ad rationem objecti, ut objectum, sed ut imperfectum in linea intelligibili, et in potentia; et sic non est in Deo, nec illi attribuitur.

XXXIII. Ad auctoritatem Justini martyris respondetur ibi non loqui de voluntate divina in speciali, sed in genere de voluntate; et sic verum est, quod sicut se habet potentia ad actum, ita voluntas ad velle: hoc enim sumit ibi pro majori, quomodo vero hoc in Deo inveniatur, an ex modo significandi tantum, an ex parte significatæ ut distinctis conceptibus ex parte Dei correspondentes, ibi non explicat. Ut omittam non ita constare, an ea verba dicat Justinus ex propria sententia, sed solum objiciendo contra quamdam Græcorum responsionem ante datam difficultati, non resolvendo.

Ad ea, quæ objecta sunt pro sententia Arrubalis, et pro virtuali potentia voluntatis, quæ sunt illa duo argumenta, quæ similiter in disputatione XVI, tomo præcedenti, art. II, ex eisdem auctoribus retulimus ad probandum dari intellectualitatem in Deo in actu primo.

XXXIV. Ad hæc ergo respondetur sicut ibi respondimus. Ad primum enim ex parte motionis, quia scilicet in Deo objectum ipsum movet, et attrahit voluntatem, et non movet ipsam volitionem jam habitam, sed voluntatem ut habeat volitionem, di-

cimus quod hoc argumentum proponit, et solvit S. Thomas q. xxiii de verit. art. i ad vi, ubi sic dicit: « Ad sextum dicendum, quod quando volitum est aliud a voluntate, volitum movet voluntatem realiter, sed quando volitum est idem voluntati, tunc non movet, nisi secundum modum significandi: et quantum ad hunc modum loquendi (secundum commentaria in physicis) verificatur dictum Platonis, qui dicebat quod primum movens movet seipsum, in quantum scilicet intelligit et vult seipsum. » Idem de motu vitæ quo Deus movet seipsum docet i p. q. xviii, art. iii ad i et i contr. gent. cap. cxxviii. Intelligitur enim motus in Deo seu Deum movere seipsum vel ab objecto moveri voluntatem seclusis imperfectionibus, quia videlicet operatur a se, et voluntas ejus denominatur a se, seu potius est sua determinatio, et sua volitio ex se, supposita cognitione objecti. Itaque negamus objectum in Deo movere voluntatem ut eliciat actum seu ut reducat se de actu primo ad secundum: sic enim objectum non movet, nec est causa volendi, quia in Deo non datur volitio per elicientiam a potentia formaliter, et in re eliciente, dicitur autem moveri ab objecto, et cognitionem esse causam volendi, ita ut hæc causalis sit vera: Deus quia intelligit, amat, non e converso, non quia sit causa vel movens ad eliciendum actum, sed quia utrumque Deus habet in actu secundo, et in actu puro, scilicet objectum esse actu intellectum, et objectum esse actu volitum, et una ratio ex suo formali conceptu est connexa, et subordinata alteri, et non e contra, licet identice sint unum, sicut etiam æternitas sequitur ad immutabilitatem, bonitas ad perfectionem, non e converso; sic ex objecto intellecto sequitur actus amoris, et intelligere est ratio ipsius

velle, sicut unum attributum est ratio alterius, et natura est ratio attributorum. Et hoc modo verificatur, quod objectum movet voluntatem, quantum ad modum significandi, quatenus objectum volitum est ratio et fundamentum volitionis, sicut unum attributum est ratio alterius tamquam specificativum, et determinativum illius, et rationem finis habens respectu suimet, quia totum hoc est unus et idem actus purus et secundus, non tamquam movens ad elicientiam ipsius actus: nec enim actus ille egreditur, et procedit in re, sed est actus purus subsistens. Vel etiam dicitur movere objectum secundum modum significandi, et remotis imperfectionibus motus, quia habet in actu ultimo per seipsum, id quod in creaturis fit per motum objecti ad elicientiam, et egressionem actus, id sine elicientia et egressione fit per summam actualitatem, a seipso id habendo. Habere autem virtualiter rationem movendi quod in creaturis est motus, et in Deo summa actualitas, non est inconueniens, quia hoc non est Deum in se esse virtualement actum primum, sed convenire virtualiter actum primum, qui est in creaturis.

XXXV. Ad secundum respondetur, quod posse amare creaturas in Deo, et amare illas actu eodem modo, et æque necessarium est ex parte actualitatis, et actus secundi in se, sed non quantum ad connotationem, et tactum extrinsecum objecti: volitio enim Dei libera perfectionem, et entitatem habet in Deo necessariam, et ita voluntas divina est ex se necessaria, non habens necessariam habitudinem ad objectum secundarium, ut optime ex D. Thoma dicit Cajetanus hic art. iii, §. In responsione ad quintum, et nos amplius explicabimus sequenti articulo. Unde non sequitur, quod in voluntate divina possit distingui actus primus, et secundus quoad in-

trinsecam perfectionem, sed solum unus et idem actus secundus, seu actus purus cum connotatione ad aliqua volita, aut sine illa, et ex parte hujus connotati recipit contingentiam, non ex parte intrinsecæ entitatis, et perfectionis actus secundi; qua etiam ratione ad actum ut tangit, seu connotat actum vel objectum, diximus posse dari in Deo potentiam sine ratione actus primi, quia idem actus secundus est qui habet ad aliqua objecta istam connotationem, et qui non habet. Vel secundo dicitur, quod velle creaturam, quod est prædicatum contingens, et posse velle eandem, quod est necessarium, est idem quod possibilitas volitionis, et volitio ipsa. Possibilitas autem seu potentia logica, et actualis volitio non distinguuntur in Deo, sicut actus primus et secundus, nec pertinet ad præsens de illis agere, quia solum tractamus de potentia physica et influxiva, an detur, non de possibilitate logica.

ARTICULUS III.

An detur in Deo actus liber, et quæ difficultates circa illum versentur?

Nihil in fide, et naturali ratione apertius, et expeditius, quam Deum habere libertatem, nihil in theologia intricatius, et occultius, quam modum libertatis ejus declarare. Et ideo ut certa in hac parte ab incertis separamus, prius tradenda sunt fundamenta fidei, et principia rationis naturalis; deinde difficultates enodandæ.

LIBERTAS IN DEO.

I. Igitur Deum libere operari et velle circa objecta creata, quæ ab ipso procedunt, indubitata fidei dog-

ma est; licet aliquos hæreticos eam negasse, infra referemus tractando varias sententias circa liberum actum Dei. Et D. Thomas in fine quæstionis xxv, artic. v, refert aliquos, suppresso nomine, dicentes Deum agere ex necessitate naturæ. Dicitur enim ad Ephes. i: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ*: et Psalm. xciii: *Deus volitionum libere egit*: Sapient. xii: *Subest tibi cum volueris, posse*: et i ad Corinth. xii, dicitur de Spiritu sancto: *Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*: Isai. xlvi: *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet*: constat autem quod consilium non est de necessariis: hæc enim consilio et arbitrio non reguntur, sed solum de liberis. Idem deducitur ex supremo dominio Dei, et potestate qua facit quidquid vult. Unde dicitur Ps. cxxxiv: *Omnia quæcumque voluit Dominus fecit*: Judith. ix: *Tu fecisti priora, et illa post illa cogitasti, et hoc factum est quod ipse voluisti*: et Matth. x: *Annon licet mihi, quod volo facere?* Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. Denique, ex misericordia divina, et nostrarum precum exauditione, et varia immutatione rerum juxta causarum merita diversa, manifeste comprobatur libertas in Deo: nam si ex necessitate ageret, neque misereri posset, neque precibus moveri, aut rerum status mutare, quia ut determinatus ad unum ageret: constat autem misericordiam suam Deum liberrime præstare cui voluerit, Exod. xxxiii: *Miserebor cui volueris; et clemens ero in quem mihi placuerit*: Jerem. xviii: *Si penitentiam egerit gens illa a malo suo quod locutus sum adversus eam, agam et ego penitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei, etc.* Quæ omnia non possunt stare, si Deus ageret ex necessitate naturæ: nam in